


QK 429, II.

X1860617

114222



*Q. F. F. Q. S.*

PRÆSIDE CELEBERRIMO,  
**DN. GEORGIO CÄSP.**  
**KIRCHMAJERO,**

Orat. Prof. Publ. meritissimo, Acad. Imperial.

Leopoldin. Phosphoro II. & Universitatis VVitteb.

Seniore Venerando,

*Patrono, Præceptore & studiorum suorum  
Promotore, omni honoris cultu observando,*

*De*

# CORONIS

Disputabit

AUTOR RESPONDENS

M. JOHANNES PHILIPPUS GROSIUS,  
WINDSHEMIO-FRANCUS.

*In Auditorio Majori*

Ad diem XXIII. Decembr. Hor. Antemer.

Anno M DC XCIII.



WITTENBERGÆ,  
Literis CHRISTIANI KREUSIGII.

VIRIS  
DE REPUBLICA WINDSHEIMENSI  
MERITIS,  
*Magnifico, Nobilissimo atque Excellentissimo,*  
**DN. ADAMO**  
**PASTORIO,**  
J.U. DOCT. PRÆTORI ET CONSULI  
GRAVISSIMO, &c. &c.

Nec non  
*Nobilissimo atque Excellentissimo,*  
**DN. JOHANNI**  
**PHILIPPO de JOSS,**  
CONSILIARIO WINDSHEIMENSIMUM  
DUDUM MERITISSIMO &c.

DNN. Patronis ac Promotoribus suis ad ci-  
neres usque colendis  
Dissertationem hanc  
D. D. C.  
AUTOR  
M. Johannes Philippus Grosius.



I. N. J.

§. I.

**D**iciturus quædam de Coronis, de Etymo hujus vocabuli primo loco agendum esse, arbitror. Tetigit duntaxat obiter, & non pro merito Pompejus Festus (a) etymon hujus vocabuli; quandoq; videm Corona illi dicitur à choro, caret tamen aspiratione. Qvibus seqventia mox adjecta verba: Coronæ dicuntur, qvòd hos cohonorent, qvibus imponuntur. Appion (b) apud Athenæum applaudit, Coronam olim Choronon dictam esse; qvòd Saltatores sive χορευταὶ eā capiti imposita in theatris uterentur. Josephus Scaliger (c) Coronam Veteres scribebant, ait, adspicere, bene consciī ἑρύμην hujus: σέφαρος enim primum χορωνὸς vocabatur μάρα τὸς χορὸς. Isidorus etiam accedit Hispalensis ille, qui (d) à choro coronas petit, qvod olim coronati circum aras current. Qui cum Celeberr. Dn. PRÆSIDE (e) Patrono ac Præceptore meo ad cineres colendo (cujus liceat vestigiis insistere, dum de Coronis hæc & multa alia, ex instituto attulit,) antiquitatem Lingvæ Celticæ latissimè regnantem venerantur & agnoscunt, illi nec Latinam præferunt, nec Græcam. Igitur Coronæ vox originem immediatam Lingvæ Celticæ, Hebrææ mediatam debet. Celts, inquam, omnibus, Germanis, Gothis, Danis, Suecis, Anglis, Gallis, Italies, Hispanis, ipsis etiam Pannibus Corona appellatur Cron / Corona vero ab Hebræa voce קְרָן id est, radio, aut cornu, cuius radix est קְרָנָה radiavit, splenduit; qvia auro gemmisque radiant Regalia Coronæ ornamenta; qvò antiquiora, hoc simplicius per emicantes radios seu cornua in cuspidem cornutam aut pyramidalem penè desinunt.

§. 3. Misso Etymo, æqvivoca aggredior Coronæ, quæ homonyma quām plurima agnoscit. Coronæ vox modo pro nomine communi, immo communissimo, modò etiam pro proprio accipitur. De proprio (ut inde ordinar) constat, tribui Coronæ nomen Urbibus Celebrioribus

A 2

qvibus-

(a) de verbis signif. (b) in Deiphosop. l. 15. (c) in Commentar. ad Virgilii appendicem. (d) in Origg. l. 19. c. 30. (e) ad Hist. Pass. Chr. de Coronis.

q̄vibusdam atq̄ve oppidis nonnullis. Eminet Corona urbs Peloponnesi, non procul à Pomisi ostio, ad sinum Messenii cum, qui sinus quoq̄ve Coronaeus, Golfo de Coron vocatur. Majestati Venetorum armis contra Turcas felicissimis recuperata, hodiè vocari Christiana gaudet. Coronæ Urbs Bœotie in colle sita, proximè ab Helicone monte abest, q̄va de memoratu digna Sponius haud ita pridem prodidit in Itiner. per Archipelag. & Græciam. Apud hanc Coroneam, ut Corn. Nepos (a) refert, Bœotii & Athenienses Agesilaο obliterunt, cùm per Hellespontum copias suas trajecisset. Coronæ nomen referentia obscuriora tamen loca prætermittimus, à Plinio in Hist. N. & Henrico Stephano de Urbibus commemorata, cum super sit clarioribus Corona Dacia, & qvidem Transylvanie annumeranda, vulgo Cronstadt / Stephanopolis, Barassoviaque olim nominata, Burciam ad amnem, atq̄ve regionem. De qua urbe gentis Daciæ Scriptores Laurentius Toppelinus in Orig. Transylv. & Joh. Tröster in Dacia veteri novaq̄ve consuluntur. (b) In Franconiae montanae finibus ad pedes atq̄ve cornua Piniferi metallici Auricorona oppidum & monasterium Cæli-Corona ditioni subest Ducis Serenissimi ac Domini, DN. CHRISTIANI ERNESTI Marchionis Brandenburg. Germaniae Ulyssis, aut Achillis. Tandein etiam Corona nominatur capacissimus Gallæciæ Hispanorum portus, q̄vem Caronium alias appellant.

§. 3. Con mune nomen prædicatur (1) Civili notione aut significatu de Regno videlicet & Majestatis Regiæ possessione propria. Hoc sensu Coronæ bona dicimus non esse alienabilia. Qvæ phrasis Aulæ Regiæ Gallorum Suecorumq̄ve notior, privatis magis odiosa est, qvām ut hic explicari oportere videatur. Hoc respectū etiam accipienda formula loquendi, die Kron Frankreich/ Engelland/ Dennemarck sc. (2) Astronomicè Corona sidus illud dicitur Cœleste, Borealis nempe circulus stellarum in coronæ modum pene cōiens, de qvibus Claudianus (c)

Scutib⁹ Dictæa placuerunt astra corone

& Plinius (d) inquit: Cæsari corona exoriri incipit, (3) Physicè ac Meteorologicè, pro circulo lunari, seu halone sumitur Corona, ein Mondenhof: qvæ, unde oriatur, causa naturalis redditur ab Opticis,

Carte-

(a) Ages. cap. 4. num. 5. (b) l. 4. c. XI. (c) in panegyr. Claud. de corona Dictæa. (d) Hist. Nat. l. 18. c. 31.

*Cartesio in primis, curioso hoc phænomenon scrutinio lustrante in Catoptricis. (4) Mechanicè pro supercilio & prominentia parietis, arcendis stillicidiis perutili. (5) Oeconomicè pro parte mundi muliebris, sive ornamento capitis orbiculoque, quo gestare solent onera: Horatius (a)*

*Et scindit haren tem coronam crinibus.*

(6) Populariter pro turba circumstantiumque multitudine. Hoc sensu Cicero (b) *Tibi ipsi pro te erit maxima coronâ causa dicenda.* Talis hominum congregatorum circulus indigitatur passim in exordiis orationum & alloquii. Sic coronæ clamor dicitur Poetæ *Venusino.* (c) Muros cingere coronâ & circumdare, *Virgiliana* phrasis atq; Luciani est. Ad popularem quoque refero significationem circulum tonsuræ capitis religiosi, *eine Pfaffen-Crone.* (7) Juridicè, forensis vox Coronæ signum denotat venalium, in primis captivorum. Quib; corona scilicet mancipia venabant olim, jure belli capta, teste Gellio (d) Servi itaque & bello capti coronis his induiti ordinariè venabant, seu vennundabantur. (8) Usu nummario Corona coronatum nummum denotat.

§. 4. Ad Synonyma vocabuli Coronæ nunc progredior: illorum autem alia sunt Ebræa, alia Græca, alia Latina. Hebræa sunt: כַּרְן & קָרְנָה Græca vero: σέφαρθ, σεφάνη, itemque σπόφιον, σέμιμα, βασιλεῖον, Δικέδημα non accurate. Latina autem: Sertum & Corolla si ex foliorum, graminum & florum compositione constat.

§. 5. His ita consideratis, nunc rem ipsam ingredior, & descriptionem Coronæ cum Consiliario olim & Legato splendidissimo Regis Galliarum ad Rhætos (e) suppedito. Sic autem Carol. Paschalius orditur opus suum: Corona circulare capitis gestamen non arcendæ injuriaæ, sed ea re inventum est, ut sit luculentum insigne lætitiae, pietatis, morum optimorum, ingenii & doctrinæ, virtutis ac strenuitatis, victoriae & felicitatis, denique summi inter homines fastigii. Non pauciora (idem subjicit) non plura usque adhuc reperi genera coronarum.

§. 6. Cum autem Coronarum nomina varia sint, hinc haud inuti-

A 3

Iem

(a) lib. 1. Carm. (b) Tuscul. quæst. 1. (c) 1. Ep. 19. (d) in necd. 1. 7. c. 4.  
(e) l. 1. c. 1.

Iem labore me suscepturn esse, spero, si celebriores apud Veteres  
melioris ordinis gratia, è publicis ad Historiam patientis Christi, Lectio-  
nibus Magnifici DN. PRÆSIDIS, juxta seriem Alphabeti colligam, ac  
cujusvis obvias aspectui exponā. Adamant. & Aurea omnes reliqvas præ-  
stantiā & dignitate superat Coronas, meritòq; primo apponenda erit lo-  
co. Sunt vero Aureæ coronæ militibus ac Triumphatori datae, qvod pri-  
mum à Posthumio dictatore factum refert Plinius; (a) nisi tamen potius  
*Tarquinio Prisco* prima, teste *Floro* (b) gloria debetur. Imò Numini  
verissimè. Verùm tractu temporis has aureas coronas in ornamen-  
tum capitis Romani Imperatores & alii Reges excogitarunt, (antiqvi-  
tus enim è lauru erant, post fieri ex auro cœptæ) non aliter, ac si cum  
Sole vellent certare: accedebat etiam docente *Paulo Aringhi* (c) qvōd  
non tam radiis ac gemmis Circulum illum aureum condecorare cura-  
rente, qvam ad curium Solis, ad numerum mensium, ad circulum anni,  
& ad signa zodiaci respicientes, in ipsa Corona radiorum quoque nu-  
merum illum duodenarium continuerint, ut significavit Virg. (d) Co-  
ronam radialem Latini Regis describens:

- - - *Ingenti mole Latinus*

*Quadrijugo webitur currū, cui tempora circum*

*Aurati bis sex radii fulgentia cingunt,*

*Solis Avi Specimen.*

Ulos autem coronâ aureâ seu diademate fuisse Persarum Reges, osten-  
dit *Brissonius* (e) De his consule *Ioh. Baptist. Casalium* (f) postmodum  
verò decrescente imperio tantæ rei decus ad eos translatum, qvi vix  
unquam castra viderant, sed solum erant in comitatu Principis.

*Castrensis f. Vallaris*, qvæ insigne valli ex auro obtinebat & dabatur ei,  
qui primus hostium intravit castra pugnans, teste *Plinio* (g) nec non  
*Polydoro Vergilio* (i) quam primum frondeam postea auream fuisse  
refert *Guido Pancirollus* (k) nec non *Paschalius* (l)

*Cereæ*, apud *Artemidorum*: (m) qvæ licet sacræ audiant, dicendæ  
tamen magicæ ac superstitiones sunt & malum ægrotantibus porten-  
dunt. conf. *Paschal.* (n) In his Misniæ Saxoniaeq; oris recens nuptis nudo

impo-

(a) *Hist. Nat. l. 32. c. 2.* (b) *l. 1. c. 5.* (c) *T. II. Roma Subt. l. VI. c.*  
*L. p. 369.* (d) *in Æneid.* (e) *l. 1. de Regio Persarum principatu.* (f) *de pro-*  
*fan. & Sacr. Veter. Ritibus p. 48. Part. I.* (g) *lib. 16. c. 4.* (h) *l. c.* (i) *de*  
*rerum Invent.* (k) *de reb. memorabil. p. 611.* (l) *lib. 7. c. 3.* (m) *l. 1. c. 79.* (n)  
*l. 4. c. 4.*

imponuntur capite accensis antea candelis cereis. Chydes corona diciur confuse plexa, nullo florū ordine disposita, tumultuaria, plebeia, δοτὸς τῆς χύδης qvod est sparsim. Civica inter militares nobilissima corona, cui cedunt murales, vallaresque & aureæ, quanquam pretio antecedentes, è querna fronde aut ex ilice, nobilis ac symbolum servati in prælio civis, quam miles militi dabant. Quæ & judice Polydoro Vergilio (a) pio celeberrima habebatur: ubi refert, consuetudinem hanc Autore Valerio M. (b) Atheniensis primū introduxisse, & hoc honore uberrimo virtutis alimento primum Periclem decorasse. Clasifica dabantur Ducibus, ob rem præclarè gestam bellicam in mari, qui primus in hostium navem armatus vi transilivit, ea quasi navium rostris insignita est; hæc, quæ & aurea fuit, alias à Guidone Paneirolo (c) Rostrata nominatur, ab Aulo Gellio vero (d) Navalis. Hoc Insigni verò tam præclaro Paterculus (e) confirmat neminem unquam Romanorum fuisse donatum, sed primum illud meruisse M. Agrippam traditum cum Autore Livius (f).

Convivales frequentissimæ connumeratae inter esculenta etiam ac potulenta, & harum duas tantum fuisse dico, licet à quibusdam tres fuisse prohibentur. De his eruditè scribit Paulus Aringhius (g) cuius verba merentur ut apponam: Aristotele teste, inquit, apud Rhodignum (h) Antiqui conviviis coronati accumbebant, ac si coronis quas tunc capiti præferebant, annona fertilitatem, rerumque omnium copiam symbolice inaugurantes, latitiam exhiberent. At si morem hunc cuius sermo recurrat, ad sua derivemus initia coronarum ejuscemodi origo, & causa item illa potissimum extitit, quod cum discubentes multo convivales inter epulas se vino ingurgitarent, ne caput subinde doleret, fascia illud linea, vel certe lana vinciebant. Hæc enim, ut Festus ait, primum cunctis corona ad manus fuit, verum luxu subinde immane aucto, ad novas sibi delicias concinnandas, compacta tum ex frondibus, tum ex floribus, aut calidis aromatibus molliter, ut vinum facile perspiret, adaperiunt, quod ex Nardopotissimum Corona præstare consuevit: vel certe ex frigidis interdum corona instruebantur, ut opportune meatus temperamento adstringentes, astuantis vini vim valide comprimerent, ad quod

apte

(a) Lib. II. c. 17. (b) lib. 1. (c) in Rer. memor. p. 613. (d) in Noct. Att. p. 231. L. V. c. 6. (e) lib. 2. (f) lib. 12. Epit. (g) T. II. R. Sub. l. VI. c. 49. p. 369.  
(h) lib. 27. c. 26.

apre quidem corona ex violis, rosis &c. ex hedera item intexta adhibebatur. Has porro convivales coronas capiti aut fronti, vel certe temporibus circumdabant, aut festivum in morem letitiae gratia de collo suspendebant. &c. Coronæ hæ teste Pancirolo (a) fasciolas quasdam ex tenuissimis philyris tunicarum, quæ inter corticem & lignum tiliæ inveniuntur, intotas dependentes sive ut illis subligari possent, ne capite laberentur; siue ut ornamenti & gratiæ aliquid etiamnum eis accederet interprete Hier. Mercuriali (b) Singulare planè est, quod ex Festo Muretus notavit ad illud Catulli Epigramma: Cœnabis bene, mi Fabulle, apud me &c. Solitos nempe fuisse Veteres aviculas quasdam. Corollis suis alligare, quarum & cantu asfiduo, & crebris rostri ungviumque puncturis efficeretur, ne ipsi inter pocula obdormiscerent. Donatica, quæ donari viris fortibus solebat apud Veteres Romanos: alio nomine graminea salutabatur, & hac nulla fuit nobilior, nec non obsidionalis; quam ii qui liberati sunt obsidione dant ei duci, qui liberavit, & hæc corona graminea est, observarique solitum ut fieret è gramine, quod in eo loco generatum esset, intra quam clausi erant, qui obsidebantur, & tales coronam gramineam, referente A. Gellio (c) Senatus Pop. Rom. Qu. Fabio-Maximo dedit bello Pænorum secundo, quod urbem Romanam obsidione hostium liberasset. De qua videri potest Paschal. (d) ut & supra citatus Pancirollus (e) qui ex Plinio recenset, summum apud antiquos signum Victoriae fuisse, herbam porrigerere, h. e. terra & altrice ipsa humo & humatione cedere inquit, Plinius (f) quem morem etiam tum apud Germanos durasse fatetur. Cum quo consentit quoque Pompejus Festus, qui notat, Herbam ab eo dari solitam, qui se victimum fateretur.

Exploratoria, à Caligula inventa, quod ut cœlesti siderum fulgere omnia explorantur, ita ille exploratam talium virtutum demonstrare volens, distinctam Solis, Lunæ, siderumque speciem coronis his insculpi jussit, de his agit citatus Pasch. (g)

Ferales, quod gestantem enecent, sic dictæ; De his Paschalius (h) loquitur: Repertæ sunt nefanda coronæ harum, tam salubrium per nomen quidem & speciem imitatrixes, ac re & effectu ferales, atque adeo capitum,

cui

(a) de rebus memor. p. 253. Tit. II. (b) lib. 3. Variar. lect. c. 9. (c) Lib. V. c. 6. Noct. (d) l. 4. c. 12. nec non l. 7. c. 16. (e) De reb. mem. p. 613. (f) in Hist. Nat. L. XXII. c. 3. 4. (g) l. 9. c. 13. (h) l. 1. c. 15. p. 45. (i) l. 21. c. 3.

(n)

cui imponuntur, interfectrices: Et Plinius (i) eandem sententiam defendens ait: Quoniam & in hoc est aliqua valetudinis portio, in potu atque hilaritate præcipue, odorum vi surrepente, fallaciter scelerata Cleopatrae solertia. Namque apparatu belli Actiaci gratificationem ipsius Reginae Antonio timente, nec nisi pragustatos cibos sumente, fertur favore ejus lusisse, extremis coronæ floribus veneno illitis, ipsaque capiti imposta. Mox procedente hilaritate, invitavit Antonium, ut Coronas liberent.

Festæ, ita nominatæ, quod Romano more festis ludis ætas corona ta omnis apparebat. Conveniebat verò populus Athenis non jubente lege aut præstituto temporis ambitu, sed ex rerum prospéro eventu singuli & Viri & oppida indicabant sibi & lætitiam & coronas & solennes gratiarum actiones. Floreæ honoratissimæ ac antiquissimæ fuerunt, quæ includebant sub se Roseas, Violaceas, Liliaceas &c. De his floreis coronis quoque tenendum, ex vario florum genere contextis iacrarum defunctorum virginum capita exornata fuisset, quod maximè cum devotionis tum obsequij gratia in sacratissimo Deiparæ capite servatum fuisset Damascenus (a) his verbis edocet: Postquam autem omnes desiderio simul & debito satisfecerunt & ex multis floribus, variisque hymnis contextam sacram coronam contexuere &c.

Funebres, quibus mortui coronabantur, ut significarent ex Victoria seculi securitatem à negotiis. Primi enim antiquæ probitatis candidæque fidei Christiani, ut scribit Paulus Aringhius (b) suos coronis prosequebantur mortuos, virgines præsertim & martyres, hanc unam potissimum ob causam, ut post superata videlicet ærumnosæ hujus vita certamina, victores eosdem è seculo in cœlum se recepisse, impertita capiti corona, quæ victoria symbolum est, contestarentur. Adhæc tenendum, non solum mortuum fuisset coronatum, sed & rogos, sepulchra atque urnam, in quam ejus reliquiae condebantur, quem & coronati prosequi conservaverunt. Cujus rei exemplum Plutarchus memorat, quando scribit Marcelli cadaver combustum, fuisset conditum urna argentea, cui circumdata fuit corona aurea. Et quod his mos priscus Romanis fuerit sepulchra coronis, sive corollis conspergendi, discimus ex Plutarcho in funere Numa, ubi dicit, socios & amicos populos concursu facto ad sepulchrum ejus, illud publicis muneribus & coronis decorasse. Hanc verò coronam auream fuisset, colligere licet ex iis, quæ legimus apud

B

Pelo-

(a) de dormitione Virginis. (b) l.i.c.25.n.12.13.

*Pelopidam*, (a) qvi conjectu telorum confossus, à Thessalæ civitatibus coronis aureis donabatur. *Gramineæ*, de his vide *Coronam Donatiam*. *Hederacea*, qvæ saltatoribus cultoribusqve Bacchi sacra censebatur vid. *Scaliger* (b) *Salmasius ad Solin.* (c) Hanc verò *Coronam Hederaeum Poëtis collatam fuisse*, refert supra citatus *Guido Pancirollus* (d) ita tamen, ut hedera una cum lauro coronam istam perficeret.

*Hetruscae*, aureæ coronæ sunt, qvarum mentionem fecit *Plinius* (e) qvæ & gemmatæ erant, ut non honore tantum, sed & pretio ac pondere estimarentur. Plura de his habet *Paschalius* (f)

*Histrionicæ*, qvæ dabantur histrionibus non ex auro, interim effigiatæ qvæ regias coronas formâ repræsentabant, non autem materiâ, ut enim diademata Regum fuerint <sup>aurea</sup>, ita *Histrionum* <sup>ænea</sup>. In coœdiis <sup>pacium</sup> Lenones aut matres meretricularum tænola aliquâ purpureâ evinciebant caput imitatrice veræ tæniæ.

*Hypoglottis* sive *Ὥογλωττις* qvæ dicas sublingva, in convivii fine dari solita, ac ut ea frænum sit loqvacitatis, qvæ plerumqve regnat inter pocula. Qvam describit *Athanæus* (g) & *Pollux* (h.)

*Hypothenides* coronæ audiunt à thymo s. odore, qvi è qvolibet est flore, collo solita appendi & cervicis ornamentum. Ideo ab *Hesychio* hoc genus coronæ vocatur *ἵποθηνίδης*. *Ὥορεχήλας* corona subcollaris: Et hæc coronâ nihil fuit vulgatius.

*Inversa* non minus qvam rupta vel lapsa corona infaustum censebatur omen. Sic coronam *Cassio* inversam lictor afferens portendit infortunium. *Linea* (ex lana) sacræ magicis Diisqve Laribus adulteris & novis nuptiis aliæs dicata, de qua *Plin.* (i) Præterea antiquissimum hoc genus Coronarum Lanearum fuisse, testatur *Festus*. Adhæc tenendum hac, & non hedera, nec lauro, corona, *Platonem* coronasse *Homerum*, hoc verò idèò factum, qvoniam non tantum olea, sed & lana fuit argumentum pacis, Hinc *Juilius* (k) inquit: Primi Athenienses lanificii & olei & vini usum docuere, qvibus scilicet omnibus homines fruuntur in pace. *Laurea* Imperatoribus, Poëtis, Musis, navibus victoribus, statuis Augustis, thalamisqve consecrata. De Imperatoribus *Paulus*

(a) cap. V. vers. 5. (b) l. 1. de art. Poet. c. 21. (c) p. 364. (d) in reb. memor. p. 614. (e) Hist. Nat. 33. l. (f) l. 8. c. 6. (g) lib. 1. Deipn. (h) l. 4. c. 25. (i) l. 21. c. 3. (k) l. 2.

*Aringhius* (a) scribit: Imperatores dum triumphum solemni ritu perage-  
rent, Laureæ aureæque pariter corona exornabantur; ut *Livius* (b) illis  
palam verbis edocet: Tunica palmata, corona triumphalis laureaque.  
Laureæ enim primùm coronæ triumphantium, si coronatum origini  
insistimus, ait *Gellius* (c) postmodùm verò aureæ extitère, & lauro au-  
rum ornamenti gratia superinductum est. Multa de his quoque *Valo-*  
*rini* (d) & *Thomas Dempsterus* (e) scripserunt.

*Lemniscata* à lemniscis dicta, quod his veluti fasciolis involverentur  
flores coronati, seu coacti in coronam.

*Longæ Coronae* appendebantur Diis gentilium, imprimis Æsculapio &  
ferculis cibisqve in conviviis solennioribus, de qvibus singularia vide-  
mus in *Pasch.* (f) *Ludieræ coronae* non à ludicro ridiculo ye actu, quod  
gloriolæ inanis essent signa, sed exercitorum corporis & virtutum  
præmia sic audiebant. Rationem reddit *Plinius* (g) qui cursu, lucta,  
jaculo, excelluisse, qui certaminibus aliis extitisset Victor, in numeros  
coronis his adsciscerebatur, interqve Duces ponebatur.

*Martyrum coronæ* è floribus erant, conjunctis amoenitatibus co-  
lorum odorumqve si non Arabicorum, at nostratium ex Lauro, myr-  
to, violis, Narcissis, Rosis, hyacinthis, Liliis. *Militares* variae ac mul-  
tiplices fuerunt: alia enim *Castrensis*, alia *Civica*, alia *Muralis*, alia *Valla-*  
*ris*, alia *Rofrata*; vide de his omnibus in suo quamq; ordine. *Muralis* est  
corona quam donatur ab Imperatore, qui primus murum subiit, inq; oppi-  
dum hostium per vim ascendit. Idecirco quasi muri pennis decorata  
est. vid. *Gellius* (h) Talium tres meruit *Sicinius Deniatus*, qui & XIV.  
acepit Civicas. *Myrtlea* ornando capiti & flabelli loco muscis abi-  
gendis non modò per convivia, sed rebus quoque bellicis adhibebatur,  
teste *Plinio* (i) ut insigne aliquod orationis Posthumio *Tuberto* primū  
est collata.

*Navalis*, huc repetendum, quod dixi de Classica. *Nuptialis* quam  
gestare virgines & novæ nuptæ solent, aureis ex floribus imprimis ne-  
xæ, pretioso decore gemmarum addito, quam textam è selectis floribus  
herbisqve corollam sub amiculo sponsa detulit, & eam ex lectis flori-  
bus ipsa texuit, quia empta ferta vitio dabantur. vide *Alex. de Alex.* (k)

B 2

Qvod

(a) *Lib. VI. c. 49.* (b) *l. X.* (c) *l. 15.* (d) *in hieroglyph. l. 50.* (e) *in An-*  
*tiqu. Rom. l. 5. c. 18.* (f) *l. 2. c. 3.* (g) *Lib. 21. c. 3.* (h) *Lib. V. c. 6. p. 231.* (i)  
*l. 15. c. 25.* (k) *lib. II. pag. 59.*

**Q**uod ornamentum olim & gestamen fuit matronarum, deinceps ad sponsos extendebatur.

*Obsidianis*, de qua vide Gramineam. **Oleagina** victorum erat præmium in ludis Olympiacis, quæ coronamentum *Herculis* ex Oleastro extitisse Autor quoque est *Tertullianus* (a) De hac ex Oleastro, Cotino, corona copiosè egit *Pasci*. (c)

*Ovalis* ab ovatione dicta, myrtlea corona fuit, propria Imperatoribus, qui ovantes introibant urbem. Athenis Judices & Magistratus Lacedæmoniorum his coronamentis ornabant.

*Pactilis* corona juncta & ex floribus compacta artificiosè, dicta quoq; nexilis, tortilis, volubilis. *Papyracea* coronæ mentio apud *Philonem* sit in *Flaccum*. *Plectilis* è floribus, gramine, talice, arundine, lino hedera constabat nexus. *Panaria pauperum*, servorum lætioris nuncii indicium & asinorum utilis corona.

*Pancarpia floralis*, florea & ex fructibus omnigenis sic dicta.

*Plicatilis* cum plectili coincidit, corona muliebris per nubeculas per retia velamina, monilia, vittas plexa.

*Plumea* ex pennis tribus puniceis, nigrisq; longitudinis ferè tricubitalis & militibus concessa, ut asperitu pulchri, hostibus terribiles evaderent. Polonis, Hungaris & Turcis coronæ loco *plumæ* ut alijs ex Struthione ornamenta.

*Querna* eadem ac Civica, tacta superius.

*Radiata*, Principes, Heroas, Reges, Sacros Vates exornare solita, divinitatis facit aliquod indicium. Pictores Christo & Apostolis hanc haud immerito addunt. quæ & Mosi rectius tribuenda, quam cornua.

*Rofrata* supra jam adducta.

*Rutila* à rutilo colore auri dicta & Martyribus tributa à Prudentio Poeta.

*Sacerdotalis* vei gentilis, vel Ebræa, illa omnibus communis Sacerdotibus, imò omnibus sacrificantibus.

*Spicca*, faustitatis symbolum, corona gesta cum spicare messis cœperat aristas.

*Spinea*, de hac vide inferiùs, ubi plura dicam.

*Stellata*, quæ & radiata dicitur, tributa primùm Romæ Cæsari.

*Tonsa*, nec non tonsilis corona plectili opposita, è foliis detonis & ex mero folio funiculis connectebatur.

(a) in corona milit. (b) l. 4. cap. 2.

Ter-

*Tortilis*, volub̄ lis aut volvens dicta à volvendo , qvod impulsia vol-  
veretur. Motum hunc conficiebant res solidiores, poma, fructus aliis,  
ex qvibus hæc constiterat corona mobilis, præ mollioribus nimirum  
foliis herbisqve. *Triumphales* ad Imperatores ab amicis sociisqve  
mittebantur gentibus, prælatæ in triumphis, numero frequenti. Hæc  
myrto priùs plexa, (autore *Masurio*) mox ex auro, sicuti ex Lauro qvon-  
dam constiterant, Festo Gellieqve testibus. In *Scipionis Asiatici tri-*  
*umpho* 234. coronas aureas, in *Cæsaris* duo Coronarum millia, octin-  
gentas viginti duas, *Appianus* memorat gestatas. Coronarum harum  
duæ species fuerunt; una laurea altera aurea, qvas exacto triumpho in  
gremio Capitolini *Jovis* locare & templis dicare solebant, qvòd bene-  
ficio Deorum immortalium de hostibus triumphare contigisset.

*Vallaris*, vide, qvæ dicta sunt de Castrensi.

§. 7. Recensitis haetenus speciebus atqve distinctis nominibus **Co-**  
**ronarum**, ad Causas me converto, & qvidem primum <sup>et</sup> Efficientem.  
Coronarum verò repertorem, teste *Plinio* (a) ferunt Liberum Patrem  
fuisse, qvi primus omnium imposuisset capiti suo coronam ex hedera:  
postea Deorum honori sacrificantes sumpserunt, victimis simul coro-  
natis. Reperimus tamen longè antiquiorem coronarum usum. Nam  
*Moses*, qvi multis seculis, ut testis est *Eusebius* (b) præcessit Liberum Pa-  
trem, multas aureas coronas fecit, de qvibus *Josephus* plenè meminit.  
(c) Corona verò in qua Deum Moses inscriperat, una fuit, qvæ ad  
hunc usque diem permansit. Qvicquid igitur dicant de *Libero*, malo-  
tamen cum aliis *Mosen* huic præferre, ac statuere, Mosen autorem **Co-**  
**ronarum** esse. Qvæ sententia videtur probari posse ex iis, qvæ *Joban-*  
*Palatius*, Prof. *Venetus* opere de Aqvila inter Lilia editæ Venetiis, An-  
no 1675. Lib. I. c. II. f. 88. retulit: *Mosen*, cùm à *Pharaonis* filia addu-  
ceretur ad Patrem Regem, Mosi coronam joco imponētem, illam statim  
projecisse, pedibusqve conculcasse, unde à Sacerdote ibi tum stante fe-  
rè interceptum, qvòd Ægyptiaci Regni subversionem oraculo Dæmo-  
num jam denunciatum portendere hoc videretur. Projecit autem,  
pergit ille, qvia sculptum ibi viderat idolum. Corona prima ex pu-  
rissimo laudatur auro *Aaronis*, cum inscriptione *Sanctitatis Iehova*.  
*Exod. XXXIX. 30.* Falsum ergo *Plinii* illud (d) *Emere ac vendere in-*

B 3

stī-

(a) *I. XVI.* (b) *in X. de Evang. preparatione* (c) *in 3. antiquitatum,*  
*cum de Sacerdotum indumentis loquitur.* (d) *Hist. N. I. 7. c. 56.*

*sicut Liber Pater.* Idem Diadema insigne Regum & triumphum inventum. Deus scilicet, ut Regum autor, ita & Coronæ Regiae immediatus atque principalis; minus principalis Moses, qui per typum viderat in monte sacro, & illius ad ideam procurarat efformari per Bezaleelem atque Ahaliab spiritu divino excitatos viros & artifices instructos Exod. XXXV. 36. Romanarum vero Coronarum primæ atque antiquissimæ à Plinio perhibentur illæ, quibus in honorem Cereris & Bacchi ornabantur instituto Romuli XII. Arvales fratres sive sacerdotes, triticeis & spicis albo filo colligatis.

§. 8. Pauca quoque nunc de *Forma Coronarum*, scilicet externa, dicam: illa figura circularis est, capacissima omnium & perfectissima, accedens in plerisque ad rotunditatem. Itaque Coronæ, cum talis sit, nihil addi, nihil potest adimi. Ubique incipit, ubique desinit, aut nusquam potius. Heraclius idcirco Ponticus & Autor Etymologici hanc ipsam circularis formæ excellentiam, quæ propria Coronæ, verbis repræsentant hisce: *Corona summitas est, quæ currit undiquaque.* De figura hac cecinit Manilius (a).

*Hæc æterna manet, divisque simillima forma,  
Cui neque principium est usquam, nec finis in ipsa.*

§. 9. Pervenio nunc ad *Materiam Coronarum*, quæ varia est; nimis ex gramine, foliis, hedera, pampino, ex frutice, arboribus, frondibus, floribus, fructibus, charta, ex spicis, lino, lana, plumis, cera; Nobilissimæ ex auro, gemmis, unionibus: inferioris ordinis argenteæ obductæ auro, ferreæ. De Ferrea prolixè egit *Celeberr. Dn. Praeses Lectiōnibus suis publicis in Coronas*, quare pauca saltem hue transferam, nempe de significatu hujus ferreæ coronæ, nec non de ejus acceptione. Significant vero ferreæ illæ Coronæ vel potestatem Regiam, vel poenam capitalem. Hæc quoque corona Longobardorum Regum erat pro insigni teste *Carolo Sigo.* (b) *Theodor. Hopping.* (c) Inde Aqvisgrani ferrea corona, quæ pro symbolo eversi Regni Longobardici Imperatores coronati Franci atque Saxones olim usi. vid. Limn. (d) Præterea notandum, triplicem coronam esse, quæ Orbis Romani Princeps coronatur, Ferrea, quam à Coloniensi Archi Pontifice accipit: Argentea ab Arehi Præsule Mediolanensi: *Anrea*, à summo omnium Pontifice. Dixi

autem

(a) *I. i. (b) de Regno Italiae. (c) de insignibus Sect. 2. c. 2. §. 7. (d) ad Capitul. Caroli V. p. 329.*

autem supra, ferreas coronas significare quoque poenam capitalem, eus  
jus si quis exempla desideret, quamplurima à Cellario Celeberrimo ad-  
ducta esse (e) videbit; siqvidem capitibus seditionis ante violentum igno-  
miniosæ mortis genus ferrea imposta cornua, eademqve candens, vel  
ignita fuit. Sed pergendum est ad Finem Coronarum.

§. 10. Finis Coronarum quemadmodum materia, varius ac multi-  
plex est. Paschalius quidem (f) lætitiae, pietatis morum optimorum, in-  
genii & doctrinæ, virtutis ac strenuitatis, victoriae & felicitatis, de-  
niqve summi inter homines fastigii terminis, sed non sufficienter cir-  
cumscriptis. Hinc in compendio quasi adducam earum fines potiores,  
quos Magnificus DN. PRÆSES nervose ac graviter in Lection. suis  
supra citatis recensuit. Id autem extra hæsitationem certum est, au-  
toritatis, dignitatis & securitatis gratia Coronas pretiosiores maximè  
inventas ac exhibitas fuisse. Nec hoc negandum, sed potius cum Pa-  
schalio (g) assentendum, asylum quoddam in Coronis quælibet veteres,  
ut coronati haberentur, ideo niviolabiles, quemadmodum Legati ramos  
olivarum alias gestantes. Nec fine suo Coronas ex frondibus & foliis  
destitutas fuisse, spero, quæ pro præmiis virtutis & victoriae olim habitæ.  
Nec hoc obscurum, in coronis non minimam divini cultus partem  
præstitisse, & gratiam gentiles apud facta Numinæ quæsivisse coronatos.  
Doctrinæ in Poëtis Coronandis præmium fuisse ordinarium Coronas,  
quis nescit? Ad plausus & lætitiae significationem publicam coronas  
etiam spectasse notius, quām ut explicatione opus habeat. Propter sa-  
nitatem corporis in capite ac collo corollas roseas, laurcas, & floreas  
non paucas alias gestatas esse, patet ex supra dictis. Ad virginitatis te-  
stimonium corollæ symbolum adhiberi vulgo docuit experientia, &  
docet hodieqve. Illud tamen alienum à Coronis, imò his contrarium,  
quod ad illusionem atque poenam Coronamina ex ferro, spinis, strami-  
ne, papyro, qvin & floribus ducendis ad supplicium extremum, aut  
devirginatis etiam imponerentur.

(e) parte II. Hist. pass. Iesu Chr. num. 323. p. 667. (f) l. i. cap. i. (g)  
lib. 5. cap. 5. 6. & lib. VI. cap. 17.

*QK 1344*

Propter fugam vacui subjungam  
**COROLLARIA.**

I.

Cùm, propter puritatem, plura genera sciamus auri, non dubitamus, qvin ex optimo & pretiosissimo auro fuerit *Corona Sacerdotalis*.

II.

Forma externa *Coronæ Sacerdotalis*, in Pandectis Sacris, nisi qvòd lamina vocetur, haud exprimitur.

III.

In materia *Coronæ Christi Spineæ*, eqvidem omnes, non verò in determinanda specie spinarum, convenient Interpretes.

IV.

Malumus de Formæ Spineæ Coronæ Christi eligere  $\epsilon\pi\acute{\epsilon}\chi\epsilon\nu$ , qvàm dubium & incertum quid asserere.

F I N I S.

1077

1077

DE REI

Magnifi

DN

J.U. DC

DN

PI

CONSI

DNN.

